

beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno septimo, Bohemie vero vigesimo sexto.

(*Sigillum Regium in inferiori margine appressum*)

Originalis membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 74.

CLVIII.

Anno 1496. 8. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Regno Slavoniae nova arma et sigillum confert.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, nec non Slesie et Lucemburgensis Dux, Marchioque Morauie et Lusacie &c. Ad perpetuam rei memoriam, decet Regiam Maiestatem iustis et congruis precibus condescendere subditorum, et ipsos subditos de plenitudine gracie sue continuis honoribus afficere, vt dum suo subiecti dominio, suaue iugum se portare senserint, forcius accendantur ad obseruanda susceptae debiteque fidelitatis exercitia. Tunc enim subditi in virtute letantur boni presidentis, cum eos non in antiquis solummodo legibus et consuetudinibus suis studiose fouet et conseruat, sed insuper nouis extollit honoribus, et Regalis magnificencie adornat donatiuis. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire. Quod cum his diebus in hac ciuitate nostra Budensi, vna cum nonnullis dominis Prelatis et Baronibus Regni nostri fuissemus constituti; fideles nostri Nobiles et Egregii Bernaldus de Thwrocz, Georgius Capitanffy de Desnycza, ac Nicolaus Woikfy de Woykowecz, nomine, et in persona Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie, nostre Maiestatis accedentes in conspectum, exponere curauerunt. Quod quamuis illud Regnum nostrum Sclauonie ab antiquo habuerit pro armorum insigni vnum Mardurem et hys armis vsque in presenciarum semper vsum fuerit, et eiusdem Vniuersitas vniuersaliter vsa exstiterit, tamen propter certas causas et rationes cuperent Idem Regnicole, hoc armorum insigne per nostram Maiestatem renouari, et sibi de nouo ad perpetuam memoriam renouatum condonari. Nos igitur, qui prefatum Regnum nostrum Sclauonie et eiusdem Regnicolas, nichilominus, quam alia Regna et dominia nostra et eorundem incolas cupimus, non solum in antiquis legibus, iuribus et consuetudinibus suis conseruare, sed etiam maioribus honorum titulis de Regia nostra prouidencia et libertate decorare. Nam Regnum hoc inter duo flumina, videlicet Sawm et Drawm constitutum, contra et aduersus Thurcos, Christianitatis perpetuos hostes et inimicos sibi proxima loca tenens, continua bella exercet,